



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. XIX. Ecquæ sit summa primæ Legis Tabulæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

nis, etsi tamē nobis est à natura insitus. Aristot. lib. 8. ἠθικῶν Νικομαχ. cap. 5. Amorem nobis esse ad bruta animantia putat, nō autem amicitiam, quia φιλίης πᾶσι θεοῖς. i. affectui; φιλία ἔχει, id est, habitui similis est.



CAP. XIX.

Ecquæ sit summa primæ Legis Tabula.

EST autē hæc primæ Legis Tabulæ summa, vt Deū toto corde, tota anima, totis viribus, totóque robore & animo nostro diligamus, Matt. 22. v. 38. Huius autē sententiæ hic sensus atque significatio est, vt nulla sit nostri pars Dei metu vacua, sed vt omnis noster zelus, cogitatio, voluntas, animi studium, & corporis labor cō tendat, quò Deum & Dominum nostrum diligamus, amemus, colamus, honoremus, & prosequamur. Quod eō difficilius fit, quia toti naturâ caro sumus, & à Deo auersi, cūmque eius voluntate toto proprioque motu & conatu belligerantes, Roman. 7. vers. 14. & 8. vers. 8. Ex quo potest facile intelligi, quàm sit non modò arduum & difficile: sed etiam omnino ἀδύνατον & impossibile Legem Dei implere, eique satisfacere. Neque eūm quamlibet iustitiæ regulam à nobis exigit, sed planè perfectam: neque eam etiam dimidiatam, sed totam. Atque hinc concluditur falsam esse Pelagianorum sententiam, qui nihil à Deo nisi nobis possibile in hac Lege præscri-

Cap. 19. ETHIC. CHRIST.

ptum censent & aiunt, cum non quid præstare possemus, sed quid sibi deberemus Deus in hac Lege explicuerit, vt ex eo facilius nostram condemnationē animaduverteremus. Neque enim difficultas solutionis liberat debitorem.

Quantum autem sit amandus Deus hæc verba innuunt, neque tamen satis & perfectè explicat, quia hoc neq; cogitari, neque dici satis potest. Plus autē est amare, quàm diligere, ait Cicero, & ex eo Non. Marcell. *ἀγαπᾶν*. Bernard. in lib. De diligendo Deo, Causa diligendi Deum, Deus est: Modus, sine modo diligere. Duplicem ob causam dixerim diligendum Deum, vel quia nihil iustius: vel quia nihil fructuosius. Dilectio quæ tendit in Deum, tendit in immensum & in infinitum. Nam sine præmio & sine intuitu premij diligitur Deus. Affectus est, non cōtractus, charitas. Quid autē significet vtraque vox, & vt immensam quandā & infinitam vim amoris dilectionisque nostræ, erga Deum esse debere ostendant huius summæ verba, ex eo intelligitur, quod & omnes hominis partes distinctè iis verbis comprehenduntur, & omnes in quaque illius parte vires & facultates. Id quod eò breuius tradimus, quia in expositionibus aliis solet locupletius & fusiùs explicari. Hic tria tantum enumerat. At verò Luc. 10. versu 27. & Mar. 12. versu 29. quatuor alia traduntur. Sed eòdem res recidit.

Ac primùm omnes hominis partes amor hic complectitur. Nam cum homo cōstet partibus duabus, scilicet Corpore & Animo, & animus, ipse duabus aliis, scilicet Voluntate siue Corde
&

& Intelligentia siue Mente, vt est 1. Theſſal. 5. verſ. 23. omnium harum facta hęc mentio eſt. Nam Roboris aut peſtoris nomine, vires & corpus: Cordis autem appellatione, voluntas: Anima autem siue animi, intelligentia siue ratio ſignificatur. Itaque iubet Paulus, vt membra ipſa noſtra Deo conſecremus, Roman. 6. verſ. 13. & corpore etiam ipſo, vti optimo actionum noſtrarum inſtrumento, Deum à nobis eſſe glorificandum, docet 1. Corinth. 6. verſ. 20. Et veram Dei conſeſſionem atque laudationem non ſolum corde, ſed etiã ore fieri debere tradit, Roman. 10. verſ. 10. Corporis enim noſtri conditor eſt Deus, vti & animi. Vnde corpore, vti corde à nobis coli, honorarique debet. Bernardus tamen Sermo. 20. Cantic. Canticor. paulò aliter has tres voces interpretatur.

Animum autem & mentem & voluntatem Deo dedicãdam, vti verum illius templum, pluſquam notiffimum eſt, & animo Deum colendũ eſſe extra omnem cõtrouerſiam poſitum eſt, & ab Ethnicis etiam poetis dictum, nedum vt à Chriſtianis Theologis negari vel poſſit, vel debeat. Ait enim Cato in diſtichis,

Si Deus animus, nobis vt carmina dicunt,

Hic tibi præcipue ſit pura mente colendus.

Quid frequentius in Pſalmis occurrit, quam illud, Toto corde laudabo, confitebor, canam tibi Domine Deus mi? Pſal. 9. v. 25. & 34. v. 2. & 42. v. 2. & 62. 63, & c. Et hæc certe λογισμὸς & Dei naturæ conſentanea eſt, vt ait Paulus, Roman. 32. v. 2. λατρεία, quæ fit animo & voluntate. Cùm ſit enim Deus ſpiritus, & mens, Ioan. 4. verſ. 24. mē-

te imprimis est colendus. Quod etiam ab Ethnico homine sapienter dictum est.

Sed illa verba non tantum Deum omnibus & singulis nostri, id est, hominis partibus diligendum, colendum, & venerandum significant: sed etiam totis iis viribus, totoque eo conatu & potestate, quæ in singulis inest. Ait enim summa, *Totis viribus, toto animo*, id est, toto nisu & virtute siue facultate, qua plurimum & maxime quæque pars nostri potest. Ergo non fictè, non perfunctoriè, non ad tempus tantum: sed verè, integrè, & perpetuò diligendus est Deus, ut nihil sit in vlla hominis parte, quod non sit Deo dicatum, siue vires, siue opus, siue conatum, siue affectum, siue rem ipsam, siue vim & facultatem eius spectes. Et hæc est illorum verborum brevis explicatio.



CAP. XX.

Ecquæ sit secundæ huius Legis Tabulæ summa.

Secundæ autem tabulæ hæc summa est, Diliges proximū tuum sicut teipsum, Matth. 22. v. 39. Leut. 19. v. 18. In quo voce ἀγαπήσῃ vitur Scriptura, quemadmodum in superiore capite, vbi de Deo agit.

Hic autem maximè vera Christianæ charitatis natura est exponenda. Nam etsi vtraque Dei & proximi dilectio à Dei spiritu inditur, infunditurque mentibus nostris, etsi vtraque sancta est